

De morbo hepatico

disputatio Alfredo Klotz octogenario oblata a. d. XVII kal. Quint.

MCMLIV

Viro praestantissimo lustrum septimum decimum ingredienti quid magis optari conveniat nescio quam ut venerabilis eius senectus morbis careat omnibus. Quorum cum innumerabile examen recentioris aetatis medici invenerint, aliquantam partem iam antiqui observaverant propriisque appellationibus distinxerant. Ex hac mali copia si unum saltem morbum, qui apud antiquos fuisse fertur, sustulero vanumque et fictum esse demonstraro, haud ingratum id et ipsi viro doctissimo et universo humano generi fore spero, utpote quibus uno iam minus morbo metuendum sit.

Morbus hepaticus a Plauto in Curculione ita inducitur, ut leno Cappadox signa suae valetudinis primum hoc modo describat:

236 Lien enecat, renes dolent,
 pulmones distrahuntur, cruciatur iecur,
 radices cordis pereunt, hiraes omnes dolent.

Hoc ubi factum est, Palinurus servus dicit:

239 Tum te igitur morbus agitat hepaticus.

Rursus Cappadox:

240 Facile est miserum irridere.

Versu 239 cum cognitio morbi, τὴν διαγνωσὴν dico, satis recte administrari videatur, non apparet, cur leno se irrideri censeat. Quod ingenue confessi sunt Lambinus, Ussing, Leo, cum debilis sit explanatio Schmiederi¹⁾. Ob eandem causam iam Acidalius inter vv. 239 et 240 poni iusserat versum 244

1) B. Fr. Schmieder, Commentarius in Plauti comoedias, Göttingae 1804: „Palinurus quasi medicus, lamentis aegroti auditis, diciturum se simulat, qui ille morbus sit, quo laboret, ridicule vero dicit eo ipso eum dolore adfici, quo ipse se adfici erat questus: cruciatur iecur, ergo concludo morbum tuum esse hepat(i)arium“. Eadem igitur ratione ridiculum esse volebat ille vir doctus medicum dicentem: *Sie leiden an der Leber, also haben Sie Hepatitis*, qua postea Fritz Reuter pronuntiavit: *Die Armut kommt von der Powertee (pauvreté)*. Sed huiusmodi iocus sentiri non potest, si praeter *iecur* multae aliae quoque corporis partes, quae lenoni doleant, enumerantur. Quid quod ne ultimo quidem loco *iecur* positum est, sed sequuntur *radices cordis* et *hiraes*? Quod moleste ferens idem, quem supra dixi, Acidalius versum 238 ante 237 posuit, qua ratione optime iam excipit *morbus hepaticus* mentionem *iecoris*. At hoc modo ordinatos versus si deinceps legas (ut sunt in editione Bothiana a. 1810: 236. 238. 237. 239), illud rursus scrupulum movet, quod et versus 236 et 238 in *dolent* exit, quod vitium orationis (cum per se ipsum sane leve sit) coniectura inveni non placet. Quodsi *morbus hepaticus* ioculariter dicitur (id quod demonstrare conabor), non est necessarium hunc post ipsam *iecoris* mentionem statim inferri, sed traditus quoque versusum ordo iocum evadere patitur.

CAPP. Lien dierectus. PAL. Ambula, id lieni optimumst.

Hic versus cum in sua sede, ubi traditur, sine detrimento omitti possit, optime ad id facit, quod Acidalius obtinere studuit: nam cavillationem continet, si modo recte intellegitur Palinurum notissimo artificio orationem Cappadocis tamquam imperfectam continuare: *dierectus ambula*, quod alibi *i* vel *abi dierectus* dicitur, id est 'i in malam crucem', βᾶδις' ἐς κόρακας²⁾. In talibus fere sollemne est, ut is, qui posterior loquitur, ipse suam orationem vicissim ita continuet, ut nulla iam execratio sit³⁾. Iocus igitur sic procedit: C. *Lien meus dierectus* it⁴⁾. — P. *Dierectus ambula* (= *abi*)! — *Ambula* (= spatiare), *id lieni optimum est*. Is iocus ante v. 240, ubi Acidalius voluit, haud inepte iacebit. Quin possit etiam aliquis dicere coniecturam Acidalii ob eam quoque causam probandam esse, quod sententia quae est *lien dierectus* artius cohaereat cum ceteris valetudinis signis, quae usque ad v. 238 (*hirae omnes dolent*) enumerantur: quod cum ita sit, videri versum 244, si in eo loco, ubi traditus sit, relinquatur, cum aliud genus loquelae (240-243) intercesserit, velut claudicantium ritu sero venire. Hoc si quis contendere velit, in aliam difficultatem incurrat, quod *lien* iam in v. 236 dictus est: nam idem corporis membrum iterum commemorari, quo plures versus intercesserunt, eo tolerabilis est, quae res recte aestimata obstat ingeniosae Acidalii coniecturae⁵⁾.

Iam traditum versuum ordinem ut defendere conemur, age examine-mus vocem *morbi hepaticarii*, si forte in hac ipsa inesse possit ea, quam leno queritur, irrisio. Iecoris morbum⁶⁾ aliquo modo significari certum est,

2) *Ambulandi* verbum a Plauto ita usurpari, ut cum *abeundo* non prorsus congruat, P. Langen docuit Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus (1880) p. 202 sqq.; sed idem concessit Plautum ab eo usu interdum iocandi gratia paululum declinare, id quod sine dubio hic quoque statui potest.

3) Cf. quae adnotavi in editione Rudentis (1949) p. 31, velut Rud. 518 LABRAX: *Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem*. CHARMIDES: . . . *eas — easque res agebam commodum*, ubi sensus est: *LA. I in malam crucem!* — *CH. In malam crucem eas* (τοῖς)! — *Eas easque res agebam commodum* (τὰ καὶ τὰ ἄρτι διελογίζομην). De hoc genere facetiarum Lindsay optime meruit, qui talia in editione saepe significavit, raro non intellexit ut factum est in Rud. 519 et Curc. 244.

4) Hoc 'it' aut mente supplendum est, ut verba eundi interdum omituntur, aut oratio lenonis a Palinuro praeciditur. Nam quod in editionibus post Camerarium fertur *dierectus*(*t*), non probo, quia vox obscura quae est *dierectus* alibi semper cum eis verbis coniungitur, quae motum significant (Capt. 636 *i* aut addendum est, cf. Leo, aut subaudiendum ut in Curculione). Dicit igitur leno suum lienem *perire* (non: *perisse*), sicut paulo ante dixerat (238): *radices cordis pereunt*.

5) Quod G. Goetz (Symbolae crit. ad priores Plauti fab. 1877 p. 40 = Analecta Plaut. p. 110) versum Sereni Sammonici 425 *Dulcia Plautus ait grandi minus apta lieni* [= Plaut. fr. 30 (47)] in hanc Curculionis scenam revocari voluit, nimis incertum esse iudico. Nonne fieri potest, ut poeta ille medicus deperditae nesciocuius Plautinae fabulae notitiam haberet, utpote qui v. 1037 etiam Titinium testem citet?

6) Genus morbi exactius definire conatur A. Spallicci, La medicina in Plauto (1938) p. 71.

is autem ex Graecorum consuetudine aut *hepaticus* vocandus erat aut *hepatitis*, ut hodie medici loquuntur. Terminatio *-iarius* quid sibi velit, quaeritur. Quam ut explanaret, Thesaurista doctissimus ⁷⁾ laudavit dissertatiunculam egregiam, quam Fr. Conrad Glottae volumini quintodecimo inseruit ⁸⁾. Hic ostendit Plautum, quo facilius exitum purum versuum aut iambicorum acatalectorum aut trochaicorum catalecticorum efficeret, haud raro usum esse adiectivorum formis productioribus, ut *manifestarium* pro *manifesto*, *virginarium* pro *virginali* et sic alia complura poneret: *praesentarium*, *ballistarium*, *thesaurarium*. Huic ordini quod vir doctissimus etiam *hepatiarium*, pro *hepatico* dictum, inseruit, nonne putidae diligentiae accusabor, si in una *i* littera haerebo? Tamen contendo quemvis hominem Romanum, *hepatiarium* si audiret, id non ad ipsum ἥπαρ, sed ad *hepatium* necessario rettulisse.

Nolo Laterculos ⁹⁾ transscribere, ubi plurima exempla sunt derivationis quae est *-iarius* ad nomina in *-ius -ia -ium* exeuntia more satis noto applicatae: si ad rem spectes, a rebus edulibus derivata habes *isiciarium*, *dulciarium*, *altiliarium*; si ad originem Graecam, *gynaeciarium*, *emboliarium*, *conchyliarium*, alia quae iam dicturus sum; sin de Plauti usu maxime quaeras, cognoscas ex Aul. 508 sqq., ubi plurimi (ut ita dicam) *-arii* enumerantur, *i* ante *a* habere solos *patagiarium*, *indusiarium*, *strophiarium* a *patagio*, *indusio*, *strophio* dictos.

Hepatium autem quid fuerit, nemo diu quaeret, qui meminerit duarum doctarum disputationum, quibus Athenaeus (107 F) et multo post Fridericus Marx (ad Lucil. 309 sq.) de cibo illo suavissimo, qui e iecore fiebat, egerunt. Hunc cibum iam ante aetatem Lucilii Romae notum fuisse nihil est quod credere impediatur. Opinor eos, qui talia venditabant, *hepatarios* appellari solitos esse (ut sunt *patagiarii* et ceteri in Aulularia earum rerum venditores, et *cetarii*, *isiciarii*, alii eodem modo): ut etiam ipsum adiectivum spectatoribus Plauti notum fuerit. Sed utut de hac re status, quae testimonio probari non potest: dubium non est, quin cum quivis Latine modo sciens tum ipse leno Cappadox verba Palinuri medicum agentis sic necessario acceperit: *Also leidest du an der Leberwurstkrankheit*. Nonne iure ac merito indignatur lasciviam servi tam ridiculum morbum per ludibrium fingentis?

Iam unus molestissimus morbus ad nihilum redactus est. Ceteris omnibus ut semper careat senex venerabilis, voce animoque optat

Andreas Thierfelder
Mogontiensis

7) H. Rubenbauer, Thesaur. L. L. s. v. *hepatarius*.

8) Vers-Ende und Sinnesabschnitt bei Plautus, Glott. 15 (1926) p. 28 sqq.

9) O. Gradenwitz, Laterculi vocum Latinarum (1904) p. 490 sq.